



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati De Pigvavia Mersburgensis diocesis, & Præposito Magdeburgensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ABBATI DE PIGVAVIA
Meriburgensis diocesis, & Præposito
Magdeburgensi.

Epist. 70.
Adversus Episcopum
Hildesheimensem.

SI utile ac sincerum membrum Ecclesie dictus Hildesheimensis Episcopus extitisset, & voluisset prudenter advertere quod præcisus ab arbore ramus beneficium radice amittit, non solum in devium excommunicari & reprobis non declinasset Ottonis, sed adhuc in unitate ac devotione fidei Ecclesie Romanæ persisteret, quæ disponente Domino mater est omnium fidelium & magistra. Verum cum adversus eandem calcaneum præsumptuosus exerit, non intelligens quod bestia, si montem tetigerit, lapidabitur, & durum est contra stimulum calcitrare, nec se magistrum per opera exhibet, nec discipulum recognoscit. Et quidem si vitium ingratitude in eo beneficiorum nostrorum non abolevisset memoriam, licet timorem amiserit, fortè reverentiam conservasset. Sed utrumque, sicut pendimus, amisisse dinoscitur, cum nec timoris indicia nec alicujus devotionis scintilla remansisse videatur in ipso. Pro sua enim rebellione ac inobedientia, sicut accepimus, primò suspensus, ac deinde vinculo excommunicationis astrictus, contra nobiles viros Lantcravium Turingiæ & Albertum Comitem de Hevelten devotos & fideles Ecclesie per suos cum exercitu, ac si hoc deceret Episcopum, insurrexit, & non sine ridiculo, qui de pastoribus habebatur, lupum inducebat in oves quas Petri concludebat ovile, dum eo impugnante cum excommunicato prædicto terras nobilium præfatorum, multi fuerint interempti pro Ecclesie libertate, quam ancillare assistendo tyranno talis Episcopus nitebatur. Et quasi hæc non suffecissent ad injuriam & offensam, non sine contemptu sedis apostolicæ ad curiam Ottonis accessit, in iudiciis & aliis Episcopus excommunicato communicans quem laicorum pars potior evitabat. Vt autem Romanam Ecclesiam factus hostis agnoscat, quam sprexit qui videbatur amicus, & culpam in penis intelligat, qui beneficia non agnovit, cum etiam tanto tempore non sine gratia expectatus, pro tantis excessibus nec unum curaverit nuntium ad sedem apostolicam destinare, distretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita plenius veritate, si vobis constiterit de præmissis aut aliis quæ ad ejus amotionem sufficiant, auctoritate nostra ipsum à regimine

Hildesheimensis Ecclesie perpetuò amoven-tes, faciatis eidem Ecclesie de persona idonea & Ecclesie Romanæ plenè devota sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo per electionem canonicam provideri; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Tu denique, fili Abbas, super te ipso &c. Datum Laterani v. i. Idus Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

E I S D E M.

SI utile ac sincerum membrum Ecclesie dictus Halberitatenis Episcopus extitisset &c. ut supra in eandem modum usque scintilla remansisse videatur in ipso. Pro sua enim inobedientia & rebellione, sicut accepimus, primò suspensus, ac deinde vinculo excommunicationis astrictus, publicè divina præsumpsit officia celebrare, oleum sacrum & chrisma conficiens, aliaque sacramenta Ecclesie temerarius administrans. Et quasi hæc non suffecissent ad injuriam & offensam, non sine contemptu sedis apostolicæ ad curiam Ottonis accessit, in iudiciis & aliis Episcopus excommunicato communicans quem laicorum pars potior evitabat. Cum eodem etiam Ottone contra nobilem virum Lantcravium Turingiæ, devotum & fidelem Ecclesie, intrepidus cum exercitu, ac si hoc deceret Episcopum, insurrexit, & non sine ridiculo, qui de pastoribus habebatur, lupum inducebat in oves quas Petri concludebat ovile, dum eo impugnante cum excommunicato prædicto castrum quod Wreen vocatur & terram nobilis memorati, multi fuerint interempti pro Ecclesie libertate, quam ancillare assistendo tyranno talis Episcopus nitebatur. Vt autem Romanam Ecclesiam factus hostis agnoscat &c. ut supra usque in finem. Datum Laterani v. i. Idus Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Epist. 71.
Adversus Episcopum
Halberitatensem.

* Vide lib. 14.
epist. 126.

PRÆPOSITO ET CAPITULO
Briyatenfis.

CVm olim causam quæ inter vos ex parte una & venerabilem fratrem nostrum Claromontensem Episcopum ex altera super Ecclesiis villæ Briyatenfis & sancti Ferreoli & sancti Germani & de Baiassa & de Brassac & de Paulac & de Bellomonte, quas idem ad se diocæsana lege spectare dicebat, & vos eas legitime præscripsisse, Casæ Dei, Bellaraque, ac Novemfontium Abbatibus sub certa

Epist. 72.
Decidit litem
quam ipsi habebant cum Episcopo Claromontensi.
Vide lib. 11.
epist. 225. 228.